

hominum ; aliud fontis pro emanatione aquarum. *Fons igitur*, fons dicitur de maxilla, scilicet productus, et ipse idem fons invocantis appellatur videlicet Samsonis, qui Deum invocans illum, de maxilla produxit. Hebræus autem quod dicitur invocantis, non ad precem, sed ad appellationem nominis, referendum dicit, ut sit sensus. Nomen loci est invocantis, id est nominantis vel appellantis, fons de maxilla, hoc est qui locum suo nomine appellare voluerit, fontem de maxilla appellandum dicit, id est *Lechi*. Si ergo nomen loci est invocantis vel appellantis fontem de maxilla. Nomen itaque loci et invocantis est, et loci est, invocantis, quia ipse dicit : loci autem, quia de ipso dicit. Dicit autem, quia locum illum vel fontem illum nominare vult, quod locus ille vel fons ille de maxilla nominandus est, et maxilla nominandus. Nam de projecta maxilla invocans locum vel fontem *Lechi* vocat, id est maxillam.

(JUD. XVI). *Latentibus apud se insidiis*. Non mirum videatur, quod Philisthæi Samsonem occidere quærentes nec dormientem nec ligatum aggredi ausi sunt, donec verum fortitudinis ejus experimentum cepissent. Tantus enim terror in ipsis erat ut nec appropinquare illi auderent, ne forte si in dormientem aut ligatum subito irruerent, priusquam eum extinguere possint excitatus, et vinculis ruptis universos trucidaret, quemadmodum cum quis dormientem etiam leonem expavescit, neque appropinquare audet ut tangat, ne subito vigilans irruat in auctorem vulneris, tanto crudelius sæviens, quanto iratus magis.

(JUD. XVII). *Implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos*. Quod ait, implevit manum unius filiorum suorum, vel ad munera referendum est, quibus conduxit illum, sicut de Hebræo expressius dicendum videtur : Investivit manum unius filiorum suorum, donans ut sacerdotio fungeretur. *Fuit quoque in illo tempore alter adolescens de Bethlehem Juda ex cognatione ejus, scilicet Juda : eratque ipse levites tam officio quam genere ; ex patre de una tribu ; ex matre de altera, habitavitque ibi, id est in Bethlehem. Habuit apud se puerum*. Puerum vocat vel pro ætate, quia adolescens erat, vel pro ministerio quia famulus.

(JUD. XVIII). *Utentesque illius diversorio*. Diversorium dicit secretum colloquium vel cubiculum, in quo seorsum manebat.

(JUD. XIX). *Erant filii Jemini, filii Benjamin. Nunc vadimus ad domum Dei*. Domum Dei vocat tabernaculum in Silo, sive fanum quod Micha edificaverat, sculptili quod fecerat.

(JUD. XX). *Volentes me occidere et uxorem meam incredibili libidinis furore vexantes*. Pudice de se tacet, quod facere voluerunt, aliud commemorans pro illo.

ADNOTATIUNCULA UNA IN LIBRUM RUTH.

(RUTH. IV). *Solvebat homo calceamentum*. Ille homo, qui suo jure cedebat proximo solvebat calceamentum suum, et dabat proximo suo cui cedebat. *Hic Booz ergo qui propinquus erat, dixit alteri qui ei cedebat : Tolle calceamentum, etc*

## ADNOTATIONES ELUCIDATORIÆ

### IN LIBROS REGUM

Et primo de numero librorum, deinde de explanatione.

Liber Regum apud nos quatuor distinctionibus clauditur, quarum duæ priores apud Hebræos liber Samuelis dicuntur ; duæ sequentes Malachim Ramatham, sicut in Hebræo, vel ut quidam Arimathaim, unde Arimathia in Evangelio.

ADNOTATIUNCULÆ IN REGUM PRIMUM.

(I REG. II). *Donec sterilis peperit plurimos*, id est septem. Post Samuelem enim tres filios et tres filias [*littera habet duas*] : itaque septem. Addunt de uno filiorum septimum natum ; qui est et ejus, ut sint septem. *Videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel*. Videbis in filiis tuis : ipsi enim videbunt post te.

(I REG. III). *Heli jacebat in lectulo suo, et oculi ejus caligaverant nec poterat videre*, hic distingue. Postea sequitur, *et lucerna Dei extingueretur*. Sa-

*muël autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei, et vocavit Dominus Samuel ; et hoc antequam lucerna Dei extingueretur, qui Samuel dormiebat in templo Domini*. Quod autem dictum est *antequam lucerna extingueretur*, vocatum a Domino Samuel ; vel sic accipiendum est, quasi diceretur nocte vocavit, vel ideo quia ipse Samuel qui nondum cum Deo loqui consueverat, lucerna lucente, nullum alium in templo præter Heli esse videret. Cumque ipsum Heli nequaquam locutum didicisset, Dei vocem hanc esse non dubitaret.

(I REG. VI). *Ab urbe murata usque ad villam, quæ erat absque muro*. Quod dicit quinque civitates quinque mures dedisse, et quinque anos aureos, et postea subjungit : *Ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro*, ita intelligendum est, quod

quinque provinciæ quinque mures dederunt, et quinque anos singulæ singulos, licet pro dignitate specialiter civitates quasi capita provinciarum dedisse dicuntur, tamen pecunia non solum ab iis qui in civitatibus erant, sed etiam a villis quæ erant absque muro: hoc est tam a minimis quam a maximis collecta est, ut sicut periculum erat omnium, ita oblatio esset universorum. Sic igitur omnes dederunt per universam regionem a fine usque ad finem, hoc est quod sequitur: *Et usque ad Abel magnum?* lapidem dicit de quo superius dixerat: *Erat autem ibi lapis magnus, et ceciderunt ligna plaustrum: vaccasque imposuerunt super ea.* Hic ergo lapis quasi terminus erat terræ Philisthiim, et Israel usque ad quem Philisthæi arcam Domini prosecuti sunt, ubi, et Bethsamitæ, arca suscepta, holocausta obtulerunt. Usque ad hunc igitur lapidem omnes tam villæ, quæ erant absque muro, quam civitates muratæ terræ Philisthiim ad debitum munus Domino persolvendum pecuniam et impensam tribuerunt, hoc est quod dicitur: *Usque ad Abel magnum, usque ad lapidem magnum.* Nam, et ipsum nomen lapidem sonat. Abel enim Hebraice *lapis* dicitur, ut proprium nomen ex communi vocabulo derivatum intelligatur. *Super quem lapidem posuerunt arcam Domini* sicut superius dictum est: *Quæ arca erat usque in illa die,* quo scilicet percussit Dominus Bethsamitas, in agro Josue. In quo etiam culpa eorum notari potest, quod non eam in domum introduxerunt, sed foris dimiserunt, ubi ab omnibus irreverenter aspiceretur. Nam viri Cariathiarim non sic fecerunt post ea, propter quod nec percussi sunt illi. *Et percussit de populo septuaginta viros et quinquaginta millia plebis.* Quidam per septuaginta viros majores et principes populû intelligendos putant. Ut quod sequitur: *Quinquaginta millia plebis,* sic accipiendum sit, quasi in morte horum tantum damnum sit factum, quantum foret si quinquaginta millia de plebe prostrata fuissent. Sæd in Hebræo plebis non habetur. Sic igitur accipiendum supradictum putant: *Percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia;* ac si dixisset. *Quinquaginta millia et septuaginta percussit de populo,* neque hos solum de Bethsamitis, ne forte non de populo, sed ipsum populum prostravisse videatur; sed de tota provincia et regione circumjacenti civitati Bethsamis. Subdit causam, quare sint percussi dicens. *Eo quod vidissent arcam Domini;* scilicet non reverenter, neque cum timore, ut tantam rem decebat; sed audacter irruentes respexissent arcam Domini. Dignum quippe fuerat, ut quia Philisthæos, qui digni non erant arcam Dei retinere, præsumentes pro sua temeritate percussos audierant: ipsi quoque infirmitatis suæ memores cum magna reverentia, et timore ad illam respiciendam accederent. Quia igitur pro sua præsumptione percussi sunt: innuit eosdem percussos nominans. Hinc est quod Oza in sequentibus, cum ad eandem arcam sustentandam manum extenderet, percussus periit, quia

inclinato vehiculo, et ruinam minitanti auxilium laturus majestatem præsentis non cogitavit.

(I REG. VII.) *Et factum est ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vicesimus).* Ab eo scilicet tempore, quando ingressa est in Cariathiarim usque ad hoc tempus, quando ait Samuel ad universam domum Israel, quod sequitur: *Vocavit nomen illius, lapis adjutorii.* Quod igitur superius Israel juxta lapidem adjutorii castra posuisse dicitur, per anticipationem dictum est, id est in loco ubi postea hic lapis positus est sic appellatus.

(I REG. IX.) *Ne ascenderet in excelsum.* Post silo, ante ædificationem templi excelsa, id est loca eminentiora, ubi Deo sacrificaretur, non reprehendebantur: quæ post, loco sacrificandi determinato, illicita facta sunt.

(I REG. XII.) *Militiæ Asor,* id est militiæ Jabin regis, *qui habitabat in Asor,* de qua superius in Asoreth gentium.

(I REG. XIII.) *Filius unius anni erat Saul cum regnare cæpisset, et duobus annis regnavit super Israel. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel.* Quidam sic exponunt. Ipsi autem Saul, cum regnare cæpisset, erat filius unius anni, vel ipse Saul erat filius unius anni, id est innocens, et simplex ut puer unius anni. Et duobus annis regnavit in illa simplicitate, postea mutatus est in pejus. Hebræi dicunt Saul duobus tantum annis regnasse, Samuelem viginti annis judicasse Israel. Secundum hanc existimationem sic intelligitur, Saul duobus annis regnavit super Israel, qui cum regnare cæpisset, et esset filius unius anni, id est unum annum jam habuisset in regno, fecit quod sequitur: *Elegit sibi tria millia de Israel.* Nam, et David postea secundum eandem loquendi formam filius triginta annorum dicitur; id est, habens triginta annos cum regnare cæpisset. Quod idioma in Hebræo frequens et usitatum est, ut filius iniquitatis, filius pacis, filius unius anni, filius triginta annorum. *Percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa,* id est exercitum eorum, qui in illo loco morabantur. *Quod cum audissent Philisthæi, Saul cecinit buccina.* Saul cum cognovisset Philisthæos audivisse, quod Jonathas filius ejus stationem eorum percussisset, sciens eos in ultionem percussorum adventuros: cecinit buccina in omni terra: dicens, *audiant Hebræi.* Ideo enim buccina cecinit, ut Hebræi audirent percussos Philisthæos, et animarentur ad prælium. *Quod factum est. Nam universus Isreal audivit hujuscemodifamam,* quod scilicet Saul percussit stationem Philisthinorum, fama regi attribente, quod filius fecerat. Et ideo fiducia accepta, erexit se Israel adversus Philisthiim. *Clamavit ergo populus Israel, currens post Saul, ad prælium in Galgala. Hebræi autem transierunt Jordanem.* Hebræos hic vocat partem populi, quæ trans Jordanem morabatur, id est tribum Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manassæ. Reliquos Israel: hinc, et Saul buccina cecinit, ut

remoti famam victoriæ audirent ; quos, et Hebræos discreta Scriptura nominat, alludens vocabulo, quia ad auxilium reliquo Israeli venientes frequenter Jordanem transire oportebat, quia Hebræus *transiens* interpretatur.

(I REG. XV.) *Porro triumphator in Israel non parcat, nec pœnitentia flectetur.* Hebræus habet sic: Vagham, Nez a Izraheloe Zachir, *ישראל לא ישקר*, וגם נצח; id est, *porro virtus Israel non mentitur.* Hoc vult dicere, quod Deus qui est triumphator in Israel, quia per eum Israel triumphat et vincit; sine virtutis Israel, id est dans virtutem et fortitudinem Israel; ipse non mentitur, ut verbum suum mutet, sicut tu modo verbum ejus cassare conatus es, non faciens quod præcepit. Ipse autem non mentitur, sed ad effectum perducet verbum suum, sive non parcat quasi miseratione aliqua mutatus, ut non impleat quod proposuit, sicut tu prius videri voluisti parcens hominibus dignis morte, et mendacem faciens Deum. Nec pœnitentia flectetur, ut pœniteat eum proposuisse, et sic flectatur, et non faciat quod facere cogitavit. Neque enim homo est ut agat pœnitentiam. Homo enim qui malum velle potest et mutare potest, pœnitentiam agere potest.

(I REG. XVI.) *Nam coram Domino est Christus ejus ?* Id est nunquid iste qui tibi nunc præsentatus est, et coram adductus, provisus est a te, ut sit Christus tuus ? *Adducit itaque Isai septem filios suos coram Samuele ; et ait Samuel ad Isai : Non eligit Domini ex istis.* Quomodo verum est, quod Isai septem filios suos ad Samuelem adduxisse dicitur, et Samuel ex illis adductis nullum electum esse testatur, cum David unus de septem adhuc et adductus non sit, et electus sit ? Quapropter sic intelligendum est quod sex adduxit, illo solo excepto quem superesse dixit, et verum est, quod de reliquis nullum elegit Dominus.

(I REG. XVII.) *David caput Philisthæi attulit in Hierusalem,* hinc apparet jam eo tempore communem fuisse habitationem in Hierusalem, et filiis Israel et Jebuseis : ad quam velut excellentiorem civitatem, ob gloriam triumphi caput Philisthæi David attulit. *De qua stirpe descendit hic adolescens ? Responditque Abner, etc.* Quomodo Saul hic David ignorat, et progeniem ejus quærit ; cum superius ad Isai patrem ejus misisse legatur, dicens : Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. David quoque ad eum venisse, et coram eo stetisse, dilectusque ab eo fuisse, et armiger-ejus factus asseratus. Sed notandum quod potentes in quotidiana hominum frequentia positi, non omnes circa se conversantes possunt agnoscere : præcipue eos quos nec dignitas personæ commendat, nec diutina conversatio familiares efficit. Quia igitur David puer adhuc et contemptibilis, neque regia familiaritate dignus brevi tempore cum Saule manserat, non mirum est si eundem modo ad tam egregium opus procedentem diligentius notatum ignorat. Nam quod prius eum ad Isai patrem ejus mittens ex nomine

A vocat ; nequaquam notitiæ ascribendum est quia eo nomine illum vocat quod ex relatione suggerentium didicit. Non autem ex præcedentis notitia familiaritatis agnovit.

(I REG. XVIII.) *Posuitque eum Saul super viros belli.* Hoc non amore, sed odio fecisse intelligendus est, ut cupiditate laudis, bellis se ingerens, interjret. Jam enim audierat mulieres canentes : *Percussit Saul mille, et David, decem millia.* Atque hac laude David in iram excitatus mortem ejus meditari cœperat. Ideoque subjungitur : *Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David,* etc. Hoc jam præcesserat, sed narratur præpostere. In duabus rebus gener meus eris. Primum scilicet de Merob promissa et deinde Michol data.

B (I REG. XXI.) *Fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed, et ipsa hodie sanctificabitur in vasis.* Secundum ritum legis loquitur, secundum quem illicitum erat ut in vasis, in quibus ante communis cibus positus fuisset, sanctificatus postea panis poneretur. Ideo dicit vasa puerorum, id est comitum suorum sancta, quod nihil in eis commune continebatur, quo minus cibum sanctificatum caperent. Porro hæc, inquit, via polluta est ; id est nos via polluti sumus aliquid videndo forte vel contingendo, propter quod jure secundum legis consuetudinem a contingendis sacris prohiberi deberemus. *Sed et ipsa sanctificabitur in vasis,* id est parcatur nobis de his si qua tetigimus immunda. Parcatur dico propter vasa quæ munda portamus.

C (I REG. XXVI.) *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium ;* placatur Deus, si ex ira ejus est : aliud consilium non habeo pro parte hac. *Si autem filii hominum hoc faciunt ; ipsi maledicti sunt in conspectu Domini, quia injuste agunt qui ejecerunt me, etc.*

(I REG. XXIV.) *Est apud me multis diebus vel annis.* Superius dictum est quod quatuor tantum mensibus fuit in regione Philistinorum ; nunc autem ac his dici, multis diebus vel annis moratum apud se, quod fortassis idcirco dicitur rectius argumentum fidelitatis ipsius caperent ex temporis prolixitate, ideoque annis adjunxit.

ADNOTATIUNCULE IN REGUM SECUNDUM.

D (II. REG. I.) *Planxit autem David planctum hujusmodi super Saul et super Jonathan filium ejus ; et præcepit, ut docerent filios Juda arcum,* id est artem sagittandi ; quoniam Saul, et Jonathan filius ejus sagittis Philisthiim interierant, ut si denuo bellum surgeret, contra adversarios se defendere possent. *Sicut scriptum est in libro justorum.* Quidam librum justorum hunc eundem librum intelligendum putant, propter Samuelem et David : de quibus principaliter agit, Alii librum justorum, legem Moysi interpretantur, in qua forma justitiæ hominibus proponitur. Ex qua conjici putant in nonnullis locis artem sagittandi utilem, sicut fortassis illud in Genesi Jacob dicente quod portionem tulerit de manu Amorrhæi in gladio et arcu. Alii librum justorum non hominum

interpretantur, sed judicioiorum vel præceptorum. Ac si diceretur in libro juris, ut sit sensus, præcepit ut docerent filios Juda arcum, ut hoc ita quasi pro lege teneretur, et inviolabiliter observaretur, secundum quod scriptum est in libro juris, et præcepto legis editum. *Clypeus fortium*, pluraliter pronuntiandum, quod tamen singulariter exponens adjungit: *Clypeus Saul*. Motus dicendi quando aliquid communiter proponitur, cui singularis executio adjungenda est. Hic fit in rerum exaggeratione, quando quid cum valida intentione narratur. *Abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul*, quasi non esset unctus oleo. Quasi hominis vilis, quasi hominis sanctificationem divinam non habentis. Deinde sequitur: *A sanguine interfectorum ab adipe fortium, sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum*. Ac si diceret. Non abiit retrorsum sagitta Jonathæ in præliis ut emissa unquam cassa resiliret a sanguine fortium, ab adipe medullatorum; sed fortiter penetravit effundens sanguinem, et perstringens adipem fortium, quos interficiebat. *Jonathas in excelsis tuis, o Israel, interfectus est. Doleo super te, frater mi Jonatha*

(II REG. V). *Dictum David ab eis, id est a Jebusæis. Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos* Cæcos, et claudos super muros suos posuerunt, ut dicerent advenienti. *Non ingredieris huc* ad contemptum, scilicet illius quasi tales ad violentiam ejus repellendam sufficerent. Ideoque dixerunt ei: *Non ingredieris huc* nisi istos videlicet cæcos et claudos, qui ad resistendum tibi propositi sunt, abstuleris. *Proposuerat enim David in die illa præmium, illi scilicet, qui percussisset Jebusæum; et tetigisset domatum fistulas*. Id est fistulas canalium, prominentes per summittatem muri a domatibus, id est tectis domorum ad educendam aquam stillicidiorum. Illi ergo, qui primus usque ad canaliam desuper prominentia ascendens urbem ingrederetur, præmium proposuerat David, quod tamen præmium hic non determinat, sed in libro Paralipomenon exponit, scilicet quod ducem exercitus faceret. Unde Joab primus ascendens, princeps militiæ facius est. *A mello, et intrinsecus*. Mello locus erat in civitate a quo incipiens ædificare per circuitum, et intrinsecus ædificavit.

(REG. VII). *A facie populi tui faceres, scilicet horribilia*; id est, propter populum tuum. Ab eo enim sumpsisti causam faciendi. *Quem redemisti tibi ex Egypto*. Hic sistendem est; deinde subjunge: *Gentem, et Deum ejus*, subauditur ubi inveniemus talem gentem, et talem Deum ejus, qualis populus tuus Israel, et qualis tu Deus ejus.

(II REG. XI). *Sanctificata est ab immunditia sua*, id est lavit se post coitum, vel quia steterunt menstrua ejus propter conceptum.

(II REG. XIV). *In me, domine mi rex, iniquitas, et in domo patris mei*; rex autem, et thronus ejus sit innocens. Quasi diceret: Cave ne forte promissio tua inanis sit, quod non convenit tibi, qui rex es et Dominus, ut iniquitas inveniatur in te, sicut, et de

**A** me et domo patris mei, id est mei similibus. Quanto enim major es, tanto iniquitas tua deformior. *Recordetur rex Domini Dei sui*, id est timeat Dominum Deum suum. *Ut non multiplicentur*, id est, ut non permittat multiplicari et multipliciter insurgere: *proximos sanguinis*, id est, cognatos interfecti ad ulciscendum; et tunc non interficient filium meum. *Loquar ancilla tua*, etc. Accepta securitate de causa quam suam finxerat; nunc infert quo regem ad parcendum cogat proprio judicio, dicens: *Quare cogitasti hujuscemodi rem*; id est, quod filium tuum ejecisti pro nece fratris, quod quidem contra populum Dei fuit; quia nocere poterit in posterum hoc exemplum populo Dei, si imitatus hoc fuerit populus, similiter hoc agens. *Nunc igitur veni, quia bonum est parcere, et misereri*. Ideo veni, et loquar ad te regem Dominum meum verbum hoc, quod feci de filio meo. Quod sequitur: *præsente populo*, Hebræo expressius invenitur: chi, chire, כִּי אֲנִי כִי, id est, quoniam terruerunt me; quasi diceret, quia terruerunt me illi, qui filium meum interficere voverunt: ideo veni pro impetranda venia. Quod tamen, et in prioribus verbis convenienter intelligi potest, ut si sensus; veni ut loquar verbum, præsente, hoc est intente et urgente me populo, qui filium meum ad mortem exposcunt. *Et dixit ancilla tua. Loquar regem si quo modo faciat rex verbum ancillæ suæ*; id est, si forte exaudiat me deprecantem pro filio meo. *Et exaudivit rex. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum Domini mei regis*, ut judicium quod de mea causa fecisti, in tua conserves; quia tu sicut angelus Dei nec pro ira quam adversus aliquem habeas, nec pro gratia a veritate moveri debes. *Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad dexteram, nec ad sinistram est*; nusquam scilicet deviat quidquam ex omnibus, quæ locutus est, quin ita sit ut dicis, quod scilicet manus Joab mecum est. Sapiens es in omnibus istis, ut intelligas omnia: hoc est expediat fieri in omnibus, quæ agenda super terram. Captatio est, ut attendat, quid agendum sit ut sapiens.

(II REG. XV.) *Portantes arcam fæderis Domini, et deposuerunt arcam Dei*. Quidam idcirco arcam Domini depositam putant, ut David Dominum consuleret. Sed quia tunc ei respondere noluit: idcirco dixisse David ad Sadoc: *Reporta arcam Dei in urbem*, scilicet Hierusalem. Alii depositam putant, ut populum transeuntem præstolaretur. Unde est quod sequitur: *Ascendit Abiathar*, hoc est, seorsum stetit in loco eminentiore præstolans, donec omnis populus congregaretur.

(II REG. XVII.) *Ingressus est ad Abigail filiam Naas*. Naas ipse est Isai et Jesse pater David.

(II REG. XXI). *Ab initio messis donec, stillaret aqua super eos*. Nota quod in illis regionibus, æstate, maxime tempore messis, nec tonitrua sonant nec pluviae fiunt, usque ad circa Kalendas Septembris. *Factum est autem rursum prælium Philistinorum adversum Israel: et descendet David, etc.* Quam in

hoc loco Arepham [Arafam]. Scriptura nominat, ipsa creditur fuisse Orpha Mohabitis, nurus Noemi, socia Ruth de cujus progenie nati sunt hi quatuor gigantes, qui hic in manu David, et servorum ejus cecidisse dicuntur. Repetit autem a Superioribus Scriptura, bella ista commemorans fortassis alio ordine quam gesta sunt. In primo, Abisai filius Savie interfecit Jesbidenob; in secundo, Sobochai interfecit Xephi [Zap]; in tertio, David, qui hic dicitur Adeodatus, quoniam ad liberationem Israel a Deo donatus est, et filius saltus, quia de pascuis et saltu sumptus est, et polymitarius, quia multiplici decore cultum Dei ornavit in psalmis et canticis: et Bethlehemites, propter patriam. Ipse scilicet David interfecit Goliath Gethæum. Quod bellum primum fuisse videtur, quamvis hic commemoretur tertium. In quarto Jonathas interfecit virum senos digitos singulis manibus pedibusque habentem qui similiter fuit de stirpe Arepha [Arafa].

(II REG. XXIII). *Hæc sunt verba novissima quæ dixit David* Hæc videlicet quæ supradicta sunt, vel hæc quæ sequuntur: *Dixit David filius Isai, More Scriurarum de se loquitur quasi de alio: Dixit vir qui constitutum est Christo Dei Jacob, id est, cui gratia vel officium concessum est de Christo Dei Jacob; ut videlicet sit Christus Dei Jacob. In Hebræo sic est: Dixit vir levatus super Christo Dei Jacob; id est vir qui est Christus Dei Jacob; quem ipse Deus Jacob superlevavit, id est exaltavit ut esset superior omnibus. Egregius psaltes sive psalmista in Israel. Qui dixit? Hoc scilicet, Spiritus Domini locutus est per me: et sermo ejus per linguam meam: Deus Israel dixit mihi et fortis Israel locutus est mihi. Quid dixit mihi? hoc videlicet quod ille qui justus est debet esse dominator hominum. Ita tamen quod dominator sit in timore Dei; ut sic per justitiam homines inferiores regat, quatenus semper per timorem Deo se subdat superiori. Vel hoc dixit mihi, quod dominator hominum justus et dominator in timore Dei rutilat et germinat. Hoc dixit mihi ut sciam qualiter præesse debeam, et qualiter subesse, et per hoc factus sum splendidus. Sicut lux auroræ quæ rutilat clare absque nubilo mons oriente sole; et factus sum germinans, sicut pluviis, id est irrigatione pluviarum germinat herba de terra. Quod tamen factum non est meritis meis: quia apud Deum cujus est totus mundus, non est tota domus mea, id est familia et progenies mea, ut pactum æternum iniret mecum, ita firmum in omnibus atque munitum nisi gratia sua hoc fecisset. Ex qua gratia est cuncta salus mea et omnis voluntas mea., id est quidquid volo et desidero per eam datur et impletur, et non quidquam circa me vel ad me pertinet, quod non germinet et proficiat. Prævaricatores autem qualis Saul fuit, quasi spinæ evellentur universi, quoniam indigni sunt ut permaneant in agro Dei, quia spinæ non tolluntur manibus, quia intractabiles sunt et per rebellionem pungunt tangentes. Et si quis eas tangere voluerit increpando scilicet et*

*A* castigando, *armabitur ferro et ligno lanceato.* Hasta lignum est, lancea ferrum quasi diceret. Quin in eos sævire voluerit, utetur non solis verbis quibus erudiantur, sed vindicta exstirpentur, ut exstirpati comburantur igne scilicet, inextinguibili usque ad nihilum consumendi. Nota autem quod ligno percussio fit, ferro sectio; lignum ergo lanceatum est vindicta non solum crucians, sed exterminans. *Hæc sunt nomina fortium David.* Hic enumerat eos qui in exercitu David fortitudine excellentes erant; quibus et ipsum David annumerat; quia perfecta gloria regis non esset fortes habere milites, nisi et ipse fortis esset. Propter quod ipsum cæteris omnibus præfert, quasi fortibus fortiorem, quatenus etiam ipsorum commendatio ad gloriam illi cedat. Numerat autem primum tres seorsum per se, quasi excellentiores omnibus, in quibus David primum ponit, ac primum ponit, ac principem, secundum Eleazarum; tertium Semmaa. Hi primi tres. Deinde ponit alios tres et virtutem eorum exponit, quod per media hostium castra irrumpentes aquam de cisterna, quæ erat in Bethlehem, attulerunt; quos tamen licet inter alios triginta insignes effulserint, primis tribus nequaquam æquandos esse testatur. Deinde adnumerat reliquos et in summa triginta sex, et cum Uria, triginta septem, qui sunt hi.

*Incipiunt nomina fortium in Israel.*

David primus fortium primorum	
Eleazar	2
Semmaa 3. Hi primi.	
Abisai primus fortium secundorum	
Banaias	2
Asahel 3. Hi secundi.	
Alecanan primus tertiorum	
Semaa	2
Elicha	3
Heles	4
Hira	5
Abieser	6
Mobonnai	7
Selmon	8
Macharai	9
Heleph	10
Hithai	11
Banai	12
Heldai	13
Albiadon [Albialbon]	14
Azinaveth	15
Eliaba	16
Jonathas	17
Ara	18
Semaa	19
Haian	20
Helefelet	21
Helian	22
Hefrai	23
Farai	24
Igaal	25
Bonni	26

Selech	27
Naharai	28
Hira	29
Gareb	30
Urias	31

Joab non numeratur vel propterea, quia princeps aliorum et notus, vel propter mortem Abner et Amasæ.

*David in cathedra sedens.* Ecce magisterium merito quia *sapientissimus*. *Ipsa est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Vermiculus ligni in se tener et mollis, durum lignum perforat. Quando tangitur, nihil mollius illo; quando tangit, nihil durius. In eo igitur quod tenerrimus appellatur, notatur humilitas et mansuetudo; in eo quod vermiculus ligni dicitur, fortitudo signatur. David quando lædebatur, nihil mansuetius; quando lædere volebat, nihil ferocius. Tres principales virtutes: sapientia, humilitas, fortitudo. Has omnes nullus aliorum habere potuit, nisi ille solus, in quo directus est Spiritus Dei. Has sequuntur tres quasi imagines aliarum: disciplina, sapientiæ; mansuetudo, humilitatis; constantia, fortitudinis. Has autem secundas tres novissimæ sequentes perverse imitantur. Disciplinam, hypocrisis; mansuetudinem pigritia; constantiam, pertinacia. David sedens in cathedra, *qui octingentos interfecit impetu uno.* Ubi hoc factum sit, non legimus, nisi quantum hic commemorantur. In Hebræo sic est: *Octingentos una vice.* Quod sic intelligi potest, quasi diceret David ligni vermiculo comparatur propter fortitudinem; qua omnia penetrat, et nihil ei resistere potest; in tantum ut super octingentos una vice irruere possit, et vincere. *Post hunc Eleazar,* secundus scilicet in fortitudine post David. *Inter tres fortes, qui erant cum David quando Philisthini exprobraverunt Israel,* scilicet timiditatem et quod est resistere non poterant: *et congregati sunt ipsi Philisthæi illuc* (ubi erat David) *in prælium.* Hoc Judæi dicunt ibidem factum ubi Goliath agminibus Israel exprobravit. Aliud non legimus nisi quantum hic dicitur: *Et post hunc Semmaa filius Aggæ de Arari.* *Et congregati sunt Philisthiim in statione.* Hoc cohærere non videtur; sed sic legendum est: Post hunc, Semmaa. Et ipse similiter Philisthæos percussit, et ubi subjungit: quia congregati sunt Philisthiim in statione; id est in loco ubi castris positis stabant et morabantur. *Cumque fugisset populus Israel a facie Philisthiim, stetit ille in medio agri:* id est in campo unde populus fugerat: *et tutatus est,* id est defendit eum; scilicet campum ut eum obtineret fugatis vel prostratis hostibus. *Nec non, et ante;* in alio scilicet prælio, quod ante hoc factum fuerat. *Descenderant tres fortes, qui erant principes inter triginta* [non adnumerato Uria] *id est aliis triginta excellentiores.* *Et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam.* Horum omnium, quæ dicuntur aliam, notitiam habere non possumus, nisi quantum conjicimus ex his quæ in hoc loco commemorantur. *Ipsa percussit duos leones Moab.* In Hebræo evidentius

PATROL. CLXXV.

A legitur duos principes Moab. *Et ipse descendit, et percussit leonem in media cisterna.* Magna audacia ad tam ferocem aggrediendum solum descendere. *Verumtamen usque ad tres,* scilicet primum nominatos, *non pervenerat,* ut illis æqualis esset. *Fecitque eum David sibi auricularium,* id est consiliarium, *a secreto,* vel pro una dictione accipiendum est, vel a secreto, id est de secreto quasi diceret de secretis, vel in secretis fecit eum consiliarium sibi.

(II REG. XXIV). *Et addidit furor Domini.* Addidit supradictis flagellis hoc, id est hanc iram. Et commovit ipse Dominus, *commovit David in eis,* id est ad faciendum, quod fieret contrarium illis; David dico *dicentem* Joab: *Vade, numera Israel,* hoc est quod sequitur: *Dixit rex ad Joab. Percussit autem cor David eum,* id est conscientia remordebat eum eo quod fecerat.

ADNOTATIUNCULÆ IN REGUM TERTIUM.

(III REG. VI). *Fecitque in templo fenestras obliquas,* id est arcuatas desuper, vel in toto obliquas, id est interius latiores propter claritatem. *Super parietes,* id est extrinsecus ad parietes, fecit *tabulata* quasi solaria per circuitum triplici ordine, imum strictius, medium latius, supremum latissimum, ut columnæ quibus sustentabantur superiora, non contingerent inferiora tabulata; sed extrinsecus ab imo surgerent singulæ. Ista tabulata quasi exedræ fuerunt foris adhærentia muro. *Trabes autem* quibus sustentabantur tabulata ipsa, *posuit in domum per circuitum,* id est adjunxit domui: per circuitum tamen *forinsecus,* ita scilicet, *ut non hæerent muris templi,* id est ut non essent infixæ muris, quia ejectura quædam in ipso muro per circuitum facta, ipsas excipiebat, et portabat in illo capite quo murum contingebant, in altero capite columnis innitentes. Vel de trabibus intra domum intelligi potest ad eundem modum dispositis. *Texit quoque domum laquearibus cedrinis.* Tectum domus more regionis planum fecit, quemadmodum extrinsecus tabulata. In tecto igitur domus laquearia cedrina posuit, et domum lignis, ei pavementum textit tabulis abiegnis. *Et ædificavit viginti cubitorum tabulata cedrina;* viginti cubitos de sexaginta, qui in longitudine domus erant, speravit in posteriori parte domus; id est occidentali; quia introitus ad orientem erat. Atque in illa parte similiter ædificans tabulata cedrina *a pavimento sursum fecit de parte eadem domum oraculi in Sanctum sanctorum,* id est ad hoc ut ipsa esset Sanctum sanctorum; ipsam dico *interiorem,* quia ad eam nisi per alia introitus non patebat. *Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.* A foribus enim oraculi usque ad portam orientalem quadraginta cubiti erant; quod totum dicebatur sancta. *Et juncturas suas,* juncturas dicit, ubi tabulata jungebantur. *Oraculum autem in medio domus,* id est intra domum, *fecerat in interiori parte,* id est remotiori ab introitu. *Porro ipsum oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti cubitos latitudinis, et*

*viginti cubitos altitudinis.* In hoc patet quod oraculum viginti cubitis inferius erat reliqua domo. *Sed, et altare vestivit cedro.* Hoc est altare thymiamatis, quod stabat ante oraculum, id est Sancta sanctorum. *Sed, et totum altare oraculi textit auro.* Ipsum est quo superius textit cedro; nunc auro, quod stabat ante oraculum. *Quinque cubitorum ala cherubim una,* subaudiendum est lata erat, *et quinque altera, ut a summitate,* id est extremitate unius usque ad summitatem alterius, per transversum, scilicet decem essent cubiti, latitudo æqua altitudini. Nam corpus cherubin inter alarum expansionem tenebatur. *Posuitque cherubim in medio templi interioris,* id est oraculi, versis vultibus ad orientem in propitiatorium coram positum. Ita ut alter ala una parietem meridianum tangeret, alter ala una septentrionalem, reliquas duas adinvicem jungerent in medio oraculi tanta fieret extensio alarum, quanta fuit latitudo oraculi. *Et fecit in eis, scilicet parietibus, cherubim, alias formas cherubim in diversis locis sculpsit in parietibus; et palmas manuum, et alias figuras varias.* In ingressu oraculi fecit ostiola duo, ut post determinat. *Duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus,* scilicet unum hic, alterum illinc. *Et utrumque ostium duplex erat,* id est duas valvas habens; *et se invicem tenens,* quia connexæ valvæ ad postem in medio positum aperiebantur. *Et ædificavit atrium interius, quod exteriori cingebatur. Dispositis tribus ordinibus in pariete, tribus lapidum politorum et uno lignorum cedri.*

(III REG. VII). *Ædificavit quoque domum saltus Libani.* Propter immensitatem et multitudinem operis saltui comparatur domus; vel quia ex illo materia sumpta est. *Quatuor deambulacra inter columnas cedrinas fecit, et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim.* Secundum hanc dispositionem tres ordines intrinsecus erant columnarum; et quatuor deambulacra, hoc est intervalla. Et inter columnas a pariete usque ad primum ordinem, unum intervallum; a primo ad secundum, alterum; secundo usque ad tertium aliud; a tertio autem usque ad parietem iterum aliud. In Hebræo habetur: *Tabulata cedrina desuper ordines columnarum quadraginta quinque. Quindecim unus ordo.* Quod sic intelligi potest, ut non quadraginta quinque columnas, sed tabulata, id est tabulas quadraginta quinque, quibus tabulatum compactum est esse dicamus; et tres ordines in tabulato, quorum singuli quindecim tabulas continebant. Hoc est quod dicit, cooperatura tres ordines, subauditur habebat, recipientes alterum ad alterum ter. In ipsis ordinibus singulæ tabulæ ordinis unius singulas tabulas alterius ordinis oppositas respiciebant; ita quod altera ad alteram jungebatur ter, id est, tres in singulis ordinibus aliis tribus alterius ordinis oppositis connecterentur, insertis capitibus alterius ad alteram. *Et super columnas quadrangulata ligna in eunctis æqualia.* In

A Hebræo hoc sic habetur. Et omnia ostia et postes quadrata unum contra alterum. Quod autem dicit hic, ostia quadrata, id est, desuper non rotunda; ad comparisonem fortassis dictum est eorum quæ erant in introitu oraculi sic formata. *Et porticum columnarum fecit,* id est, porticum in qua similiter columnas posuit, qui porticus longa erat quinquaginta cubitorum secundum latitudinem domus: *et alteram porticum in facie majoris porticus,* id est ante majorem porticum. *Porticum quoque solii in qua tribunal fecit.* Solium regnantis, tribunal judicantis, et est domuncula in qua sedetur ad judicandum; seorsum ad dictandam sententiam, vel palam ad proferendam. *Tam intrinsecus, quam extrinsecus serrati,* id est secti et politi in utraque superficie parietis. *Et extrinsecus usque ad majus atrium porrecto tali opere.* Majus atrium extrinsecus, minus atrium interius. *Necnon, et in atrio domus Domini interiori; et in porticu domus Domini,* tale opus factum est. Quod autem in structura parietum per varios ordines, nunc quadratos, sive politos lapides posuit, nunc cedros, id est ligna imputribilia; ideo factum, ut varietas ipsa structuræ gratior fieret atque decentior. Alia autem fuerunt atria domus Domini; alia domus regis, sive extrinseca, sive intrinseca. *Et finxit,* id est artificiose composuit vel formavit *duas columnas æreas,* id est ex ære fusas. *Latæ columnæ non ad portandam fabricam, sed ad ornatum factæ sunt, et in porticu templi erectæ.* *Altitudinis octodecim cubitorum;* in circuitu, duodecim cubitorum, hoc est quod *linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque,* hæc erat mensura rotunditatis. Si linea duodecim cubitorum cingeretur, ambiret eam et totam rotunditatem ejus complecteretur. Vel ambitus columnæ secundum ductum linearum duodecim cubitorum erat, vel linea fusili opere illi circumducta ambiebat eam duodecim cubitorum. *Capitella summitatibus columnarum superposita magna erant singula altitudine quinque cubitorum, quorum opus, et factura talis describitur. Utrumque capitellam fusile erat,* quasi in modum retis et catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Quemadmodum ex hac descriptione apparet ipsa capitella non solida, sed perforata undique fusa sunt, ut connexiones eorum introrsam, et exterius retis formam exprimerent. Quæ connexiones et perplexitas septem modis ab imo sursum in capitelli ambitu variatæ sunt, quos modos septem versus notant. Deinde duo ordines malogranatarum in circuitu capitellum ambiebant, ut ipsa malogranata extrinsecus prudentia quasi tegere viderentur retiacula capitellorum, id est ipsa capitella, quæ erant super summitatem columnarum. *Capitella autem ista, quæ erant super summitatem columnarum quasi opere lilii fabricata erant,* id est, in eisdem capitellis cum malogranatis similitudo foliorum lilii facta erat desuper in ipsis. Quod sequitur: *In porticu quatuor cubitorum,* obscurum est. Et fortassis

sic intelligi potest, quod ipsa capitella desuper non rotunda ad similitudinem columnarum quibus superposita erant, sed quadrata fuerunt habentia in singulis lateribus quatuor cubitos. Quod ergo ait: In porticu quatuor cubitorum; non sic legendum ut ipsa porticus quatuor cubitos habuisse dicatur; sed potius ipsa capitella quatuor cubitos habentia fabricata fuisse in porticu. *Et rursus alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensuram columnæ contra retiacula.* Utrum hæc secunda capitella prioribus superposita fuerint, an iuxta posita, non satis littera manifestat. *Fecit quoque mare fusile.* Luterem magnum significat fusilem ex ære rotundum desuper in circuitu triginta cubitorum, per transversum decem. Quod dicit *resticulam triginta cubitorum* cinxisse luterem; vel sic accipiendum est, quod simpliciter quantitas ambitus significata sit, cum fune tantæ longitudinis posset ambiri; vel restem intellige torquem æream ex ipso opere fusam in similitudinem restis ipsum mare ambientem. *Sculptura subter labium circumibat illud decem cubitis.* Quomodo decem cubitis circuire poterat, cum dictum sit ipsum ambitum triginta fuisse cubitorum? Annon totum circumibat, sed decem tantum cubitis ipsius ambitus sculpti fuerunt. An deorsum ambitus arctabatur subter labium, ut decem cubitis subter labium posset ambiri, ubi sculptura erat in circuitu in duobus ordinibus circa inferiorem partem luteris, ubi duodecim boves ex ære fusos super quos positus fuerat, contingebat. Sic enim videtur, quod basis luteris significata sit quadrata decem cubitorum in singulis lateribus, in qua erant duo ordines sculpturarum histriatarum bobus supposita duodecim; super quam ipsum mare fundatum erat. *Crassitudo autem luteris.* id est spissitudo erat trium unciarum; duo millia batos capiebat luter; et tria millia metretas. Par quantitas in dissimili numero. Idem enim valent, vel si de eadem mensura legitur, tantum sunt duo milia bati in siccis per cumulum; quantum tria millia in liquidis per planum. Cumulata enim mensura, planam continet totam et dimidium ejus. *Et fecit decem bases æreas.* Istæ bases non ad mare, sed alios luteræ præparantur, quibus singuli superpositi sunt. *Ipsius opus basium interrasile erat;* id est, interrasili opere factæ sunt bases. *Et sculpturæ inter juncturas, et inter coronulas, et plectas: leones, et boves, et cherubim, et inter juncturas similiter, et subter leones, et boves quasi lora ex ære dependentia.* Obscura est descriptio nec facile, quid intelligendum sit, agnoscitur. Videtur autem significare quod in ipsis basibus per singula latera diversi fuerint ordines sculpturarum, et ubi illi ordines sive versus jungebantur sculpturæ variæ in lineam ductæ, inter versus, et versus discretationem facientes. Ipsi autem versus quasi areolæ quædam inter lineas et lineas patentes, habebant circulos inseulptos in similitudinem coronarum et plectarum quorum alii leones, alii boves, alii cherubim continebant. Et in-

ter juncturas similiter desuper, ubi desuper? Fortassis hoc dicere vult, quod ejusmodi sculpturæ non per totum factæ sunt, sed sursum, et deorsum in lateribus basium quasi oræ quædam et sculpturæ. *Et subter leones, et boves quasi lora ex ære dependentia. Et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei, et humeruli a quatuor partibus erecti, quasi ad continendas bases rotis superpositas, et luterem basibus impositum. Os quoque luteris intrinsecus erat.* Sic dicere videtur, quod a fundo luteris intrinsecus quasi fistula rotunda surgens in altum, cubito, et dimidio tenebatur, cujus altitudinis cubitus quidam supra luterem eminebat. Dimidius autem cubitus intra profundum luteris erat. In cujus fistulæ summitate os erat ipsius luteris, per quod aquæ egrediebantur. *In angulis autem columnarum, id est basium, variæ cælaturæ erant; et media intercolumnia, id est, quæ inter angulos erant, quadrata erant, et non rotunda.* Hæc sunt latera basium plana, quæ intercolumnia vocat quadrata; quia super quatuor numeros in quatuor angulis erectos apparebant. *In summitate autem basis, id est, ipsa basis in summitate sua erat unius cubiti et dimidii, ut convenienter luterem superpositum portaret. Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, et in angulis; fortassis humerulos significat, qui in angulis erant columnarum, in quibus similiter sculpturæ factæ sunt. Mare autem posuit ad dexteram partem templi contra orientem ad meridiem, id est angulo, ubi orientalis et meridionalis paries domus jungebatur. Columnas duas, et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos.* In Hebræo sic est: Columnas duas et coronas super capita columnarum, et retiacula duo. Per coronas super capita columnarum aliquis fortassis intelligat, nihil aliud significari nisi ipsa capitella rotunda, columnis superposita. Quia autem funiculos nominavit, aliud voluisse videtur, quod tamen non satis patet nisi in ipsis capitellis sculpturam factam fuisse dicamus in modum coronæ, vel funis circumducti et ambientis.

(III REG. VIII.) *Cherubim expandebant alas suas super locum arcæ, et protegebant arcam, et vectes ejus desuper. Cumque eminenter vectes, et apparerent summitates eorum extra Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, id est cum tantum porrigerentur in anteriora, ut usque ad velum pervenientes ipsum velum contingerent, aliquantulum in ipsum impingerent, ut per velum ab iis, qui extrinsecus stabant, eorum capita notari possent; non tamen velum penetrabant, neque extrinsecus extra velum prominebant. Si peccaverit homo in proximum suum, hoc modo scilicet, si habuerit aliquod juramentum, quod teneatur astrictus; id est, si astrictus est adversus proximum aliquo juramento et non teneat quod juravit: coactusque ab illo cui juravit: veniat coram altari tuo in domum tuam, ut testificatione præsentis Divinitatis se absolvat; si negaverit coram te juramentum, quod fecit proximo*



suo occulte de quacunque re, et non reveritus fuerit præsentiā tuam, quominus mentiatur: *Tu exaudies in caelo*, id est cognosces et intelliges fallaciam illius qui fraudat, et facies hoc, scilicet *judicabis servos tuos*, non secundum hoc quod ille hominibus mentitur; sed secundum quod tu nosti, cui quod verum est, abscondi non potest: *Condemnans impium, et justificans justum*.

(III REG. IX.) *Appellavit eas terram Chabul*, id est paludosam vel palustrem propter vilitatem muneris.

(III REG. X.) *In domo saltus Libani*, quia forte de Libano materia sumpta est.

(III REG. XI.) *Ædificavit mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui ædificans mello*, id est locum illum, partem scilicet inferiorem civitatis coæquavit ipsum, qui prius vorago, et quasi sentina erat civitatis David patris sui: *Ut æqualis*, scilicet esset parti eminentiori civitatis in quo injuriam patri facere videbatur villissima et adjuncta summis operibus illius coæquans. In Hebræo sic habetur: *Ædificavit mello et clausit aperturam civitatis David patris sui*, quod sic intelligi potest, quod mello ædificavit et extulit in altum et per hoc exitum, qui prius erat in civitate David patris sui clausit: *Hanc fabricam contra portam civitatis extruens*. In libro verborum Salomonis, hic apud nos non invenitur: quemamodum nec liber verborum regum Israel vel Juda.

(III REG. XII.) *Ascendit super altare*. Sic dictum est, quasi ascendit ad altare. Ascendit ut super altare incensum poneret, sive aliud in hunc modum.

(III REG. XIV.) *Me projecisti post corpus tuum*, id est contempsisti.

(III REG. XVIII.) *Curavit altare Domini quod destructum fuerat et ædificavit altare ex lapidibus in nomine Domini*. Sic est quasi diceret: Mundavit locum, ubi prius altare destructum fuerat et ædificavit aliud novum.

(III REG. XIX.) *Omne os quod non adoravit eum osculans manum*, videlicet ejus Baal. In Hebræo sic habetur: *Omnes os quod non osculatum est eum*. Notat modum venerationis in curvatione genuum et osculo oris.

(III REG. XX.) *Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio faciam; hac autem rem facere non possum*. Sic est quasi diceret quod initio petitionis tuæ fuit de argento et auro tribuendo faciam; hanc autem rem, hoc est, ut etiam uxores et filios tribuam, facere non possum. *Quis incipiet præliari? Et ait: Tu*; ne videatur contrarium quod prius dixerat per pedissequos principum provinciarum victoriam obtinendam. Nunc autem volo ipsum regem pugnam incipere. Sic enim dictum est, ut non expectet assultum hostium; sed ut ipse, id est sui prælium incipiant, vel ipse incipiet totum exercitum producens; et deinde pedissequi principum provinciarum victoriam obtine-

A bunt. Hoc est quod sequitur: *Egressi sunt dutem pueri prima fronte*. Incipiente igitur rege prælium cum universis, isti præeuntes victoriam obtinuerunt.

(III REG. XXI.) *Prædicate jejunium et sedere facite Naboth, etc.* Religiose inchoari vult opus malitiæ, ut per devotionem jejunii crudelitas homicidii tegatur. *Benedixit Naboth Deum et regem*. Ironia est quasi maledixit regem, ac per hoc Deum cujus minister est. *Occidisti insuper et possedisti. Et post hæc addes*. In Hebræo sic est: *Occidisti, et post hæc hæreditabis?* sub interrogatione, quasi dicat: Nunquid non sufficit tibi occidisse hominem, nisi et hæreditatem ejus possideas? *In loco hoc, etc.* Quomodo dictum est ad Achab: *In loco hoc in quo lixerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque tuum sanguinem*; cum sanguis Naboth in Jezrael effusus sit, sanguinem vero Achab juxta piscinam Samariæ canes lixerint? Sed in hoc loco dictum est, id est tali loco, quasi ita viliter effusum, sicut tu sanguinem Naboth effudisti.

ADNOTATIONUNCULÆ IN REGUM QUARTUM.

(IV REG. III.) *Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas*. Vel sicut alii dicendum putant multas fossas, id est torrentis hujus, qui modo exsiccatus est, alveum arenem fodit altius sive profundius et in multis locis, ut aquas supervenientes in abundantia capere possit.

(IV REG. V.) *Dixitque Naaman, ut vis. Fiat, scilicet voluntas tua. Ecce non rogo amplius ut mea accipias; sed tamen obsecro ut tua concedas. Concede mihi servo tuo, ut de hac terra sancta in qua Deus verus adoratur, tollam et seram mecum onus duorum burdonum*. Quare autem portare voluerit terram subjungit. *Non enim faciet servus tuus ultra holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino*. Adhuc igitur terram ferre volebat. Ut ex ea in terra sua altare faciat Domino, in quo immolaret. *Abiit ergo ab eo electo tempore*. Ambiguitate dictionis in terræ spatium et tempus deceptus esse videtur. Nam in Hebræo sic expressius sonat: *Abiit ab eo ergo quasi aliquando terræ spatium et sic convenienter adjungitur: Dixitque Giezi puer, id est famulus, viri Dei, simile est quod in Genesi legitur: Eratque vernum tempus et ingrediebar Ephratha (Gen. XLVIII)*. In Hebræo expressius sonat: *Et adhuc spatium terræ, subauditur supererat: Et ingrediebar Ephratha*.

(IV REG. VI.) *Quarta pars cadi (50) stercoris columbarum*. Cadus mensura est: stercus columbarum quidem idcirco ab esurientibus ereptum putant, ut grana a columbis a longe delata stercore forte mista et electa aliquam famelicis refecionem præberent.

(IV REG. VIII.) *Cumque venisset dies altera, tulit stragulum et infudit ipsi aquam, vel aqua ipsum infudit, id est perfudit, hoc est accepit pannum et maderfecit in aqua et expandit supe faciem ejus*. Ipse Hazael tulit pannum et maderfactum expandit super

(50) Sunt qui cabi legant.

faciem domini sui, scilicet, ad refrigerandam faciem ejus quia calore æstuabat. In Hebræo expressius dicitur : Expandit super faciem suam, ut non Hazael, sed ipse Benadab pannum madefecisse et ob refrigerium super faciem suam expandisse intelligatur. Quod tamen nil prodesse potuit, quia mortuus est. *Quo mortuo, regnavit Hazael pro eo.*

(IV REG. XIII.) *Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini et audivit eum et dedit Dominus salvatorem Israel.* Joam scilicet filium ejus, quia ipse postea liberavit Israel de manu regis Syriæ.

(IV REG. XVI.) *Musach quoque Sabbati.* Tectum significat vel cooperturam, ubi Sabbato rex sedere consueverat juxta templum. Hoc igitur *Musach et ingressum regis*, id est porticum per quam ingrediebatur extrinsecus positam, *convertit in templum Domini*, pro timore regis Assyriorum.

(IV REG. XIX.) *Nunquid non audivisti quod ab initio fecerim ?* id est quomodo olim Pharaonem et

*A* *Ægyptios populum meum persequentes submersi ? Ex diebus antiquis plasmavi illud*, id est in diebus antiquis operatus sum illud, id est illam vindictam. *Et nunc adduxi*, id est nunc iterum ad exemplum revocare volo, ut simile in te exerceam. *Tibi autem Ezechia hoc erit signum.* Hoc scilicet, quod hostem tuum prosternam, et repellam ; hoc erit signum sequentis propitiationis ; quod videlicet terram ab eodem vastatam post ejus abscessum multipliciter germinare faciam, ut populus meus afflictus abundantia relevetur. *Igitur hoc anno comedere quod repereris.* Id est contentus esto eo quod habere poteris, ut si quid minus fuerit, patienter feras. Et si non habes quod semines, ne timeas. *In secundo anno germina sponte nascentia multiplicabuntur ;* in tantum ut abundantia frugum, et ad præsentem sustentationem, et ad futuram sementem sufficiat, Propterea, *In tertio anno seminate.* Porro quod hoc futurum sit, scire poteris ex eo quod regem Assyriorum tibi modo comminantem repellam, et destruiam.

## IN SALOMONIS ECCLESIASTEN HOMILIÆ XIX,

### QUARUM HÆC SUNT ARGUMENTA :

- In hom. XIX in Ecclesiasten de varia sacræ Scripturæ expositione, et de Salomonis intentione. Præfatio.*  
*De titulo operis, Salomonis nominibus, et libris, et principiis hujus libri, de vanitatum explanatione. Homilia I.*  
*De probatione vanitatis omnium sub cælo : per elementorum corruptionem, per rerum generationem, et earum quæ fuerunt oblivionem. Hom. II.*  
*Quomodo Ecclesiastes probet per sua opera omnia hominum opera esse vana, cum prædictorum epilogo. Hom. III.*  
*De triplici rerum vanitate, et hominum occupatione pessima. Hom. IV.*  
*De verborum Ecclesiastæ littera litterali, et morali expositione. Homil. V.*  
*Quid sit distendi in occupatione pessima. Hom. VI.*  
*Quod perversi difficile corrigantur, etc. Hom. VII.*  
*Quod homo a veritate aufugit : ut Adam in paradiso fugit, et abscondit se. Hom. VIII.*  
*De diversis Ecclesiastæ vanis conatibus. Hom. IX.*  
*De reliquis usque in eum locum : « Stultus in tenebris ambulat. » Hom. X.*  
*Quomodo sapientia attigit a fine usque ad finem fortiter, etc. Hom. XI.*  
*In illud secundum aliam translationem, « Oculi stultorum in finibus terræ, » ubi nostra habet : « Stultus in tenebris ambulat, » et in reliq. capit. secundi. Hom. XII.*  
*Quomodo omnia tempus suum habeant. Hom. XIII.*  
*Reliquorum quæ tempus suum habent declaratio, et dictorum repetitio. Hom. XIV.*  
*De tempore et tempori subjectis, per aliam interpretationem. Hom. XV.*  
*De spiritali intelligentia eorum quæ de tempore dicta sunt. Hom. XVI.*  
*De animorum confusione ex temporum transitu. Hom. XVII.*  
*De perversis hominum moribus, et quid ex eis censuerit Ecclesiastes. Hom. XVIII.*  
*De innocentium oppressione et derelictione, et vano ac stulto impiorum de hac vita jadicio. Hom. XIX.*

#### PRÆFATIO.

*De varia sacræ Scripturæ expositione, et de Salomonis intentione.*

Quæ de libro Salomonis, qui Ecclesiastes dicitur,

*C* nuper vobis coram disserui : breviter nunc perstringens (quia, quædam ibi digna memoria videbantur) stylo signavi. Omnis Scriptura secundum propriam interpretationem exposita, et clarius elu-